



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum LXXXVI. Charites seu Gratiaë.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

que hæc dea suos delatores, si non alios; certè ipsas umbras, ac manes, scelerum quemque suorum intus accusantes; habet suos tortores & carnifices, hoc est, furias, quæ perpetuò obversantur oculis improborum. Hujus Numinis est quoddam perenne lumen homini inditum, cujus vi, reipublicæ moderator puniendo & ulciscendo prævidet, quid sequi, quid vitare debeat. Eos, qui castigariùs vivunt, fovet; divinis monitis reluctantes, periculi admonet: comploratos agit præcipientes. Hæc ille doctè. De privata cujusque Nemese Marsilius Ficinus insignis Philosophus, quatuor, inquit, in homine insunt: In *mente* lex, quid agendum sit, quid non dicitans: in *ratione* iudicium distinctiore quadam argumentatione discernens, quod in hac vel illa actione honestum vel turpe: in *voluntate* iustitia, quæ eligat aut prosequatur, quod ratio per mentis leges sequendum vel fugiendum dictaverit: in *imaginatione* Nemesis, quæ turpibus actionibus, verbisque succenseat, ac legitime indignetur.

SYMBOLUM LXXXVI.

Charites seu Gratia.

Ex *Parisiis*.

Ethicè.

1. Trium Gratiarum officia. 2. Lingua gratiosa. 3. Indoles Gratiosa.

IOvis & *Eurynomes* filia, dictæ sunt ἀπὸ τῆς χαρῆς, à gaudio. Latine à *gratia*, quæ significat beneficium, quia gratis datur; item leporem, venustatem, oblectationem. Tres præcipuè numerantur. (a) 1. *Aglaiâ*, à splendore & claritate nomen trahens: quia beneficium debet esse splendidum & sine sordibus. 2. *Thalia viriditatem* indicat, quòd beneficii memoria semper virere debeat, & nunquam marcescere. 3. *Euphrosyne*, lætitiâ & hilaritatem nomine præfert: non minus enim in dando, quàm in accipiendò hilarem esse decet. *DEVS ipse hilarem datorem diligit.* 2. Cor. 9. Pinguntur nudæ, aut pellucidis vestibus, solutisque Zonis, virgines eadem & hilares, manibus inter se connexæ. Quarum una exprimitur averso corpore, quasi à nobis recedens: duæ autem ad nos conversæ, quasi accedentes: quia cum unum à nobis in

V V V

alios

(a) *Charitum seu Gratiarum nomina, habitus, officia.*

alios proficiscitur beneficium, duplex gratia rependi solet: altera dum accipitur, altera dum redditur: vel, quoniam pro una gratia aliis exhibita, plures ad nos ab aliis redeant; vel datorem oblivisci debere beneficii; acceptorem verò duplici fœnore rependere. Tres sunt, ut meminimus. 1. Gratiam acceptam memoriâ tenere. 2. Ore laudare. 3. Obsequiis demereri. Item quia tot beneficiorum genera sunt: *promerentium, dantium, accipientium & reddentium simul*. *Nuda*, vel transparente veste, quòd beneficia debeant esse minimè fucata, sed sincera & candida. *Sine Zonis*, quòd munifici & liberales homines, omnia habeant aperta & soluta. *Puella*, quia accepti beneficii memoria senescere nunquam debeat, sed florere perpetuò. *Virgines*, quia beneficia pura esse oportet, nec fœnerari illa convenit: hinc *Gratia* in *Acidalio* fonte dicuntur lavare, ut intelligamus, debere abesse fordes tam in dante, quàm in accipiente, vel etiam, quòd nihil turpe petendum, aut accipiendum sit. *Connexa*, quia ex unius beneficio, alterius sequitur, & ut ajunt, *χάρις χάριν τίκτει*, gratia gratiam parit. Beneficia námque perpetuum sunt fœdus benevolentiae mutuae, ultrò citròque commentis. *Talus* Gratiis datur, quòd gratia ire & redire mutuò, ut talus jactus debeat. Item *Myrtus*, ut semper virens, nunquam deficiat. *Rosa* quoque, ut læta delectet. *Talaria* junguntur pedibus, ut expeditæ & promptæ sint; nam *qui citò dat, bis dat*. Quidam, teste Servio, *Liberi & Veneris* filias arbitrantur, quòd horum præcipuè deorum muneribus Gratiae concilientur. Horatius Gratias Veneris Comites appellat. lib. 1. Od. 4.

Jam Cytheræa choros ducit Venus imminente Luna:

Junctæque Nymphis Gratiae decentes

Alternò terram quatiant pede.

Nimirum, quod alibi judicavimus. *Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata*. Eccli. 26. Unde Homerus, teste Seneca lib. 1. de benef. c. 3. Charitem unam conjugio copulavit, quasi matrimonii præsidem, eamque vocavit *Pasitheam*, id est omnem deam; quòd omnium deorum & dearum dona confluant in matrimonium, ubi vir bonus & uxor bona in unum conspirant. Gratiae verò, quas in familiam inducit bona uxor, sunt incrementa opum, annonæ, pacis, concordiae, probitatis, & virtutum omnium. Eustathius ait *Pasitheam* dictam, *δὲ τὸ πανταχοῦ* ubique, ubivis, omnibus se accomodantem, omnique loco & tempore gratiosè se gerentem. Veteres dixere Gratias esse *Horarum* forores,

forores, ut innuerent in dando, reddendoque beneficio, tempestivitate & prudentiam observandam esse. Neque enim rustico lanceam, militi lignem, puero nummos dones. Hinc illa Sapientum gnoma.

Beneficium dando accipit, qui digno dedit;
Benefacta malè locata, malefacta arbitror.

Democriti, in temerè quibuslibet largientem, dictum est: *malè pe-
reas, quia Gratiarum virgines, meretrices effecisti.* De Gratiis eleganter Senec.
lib. 1. de benef. c. 3. Tres, ait, sunt Gratiarum; quia una est, quæ det be-
neficium, altera quæ accipiat, tertia quæ reddat. Sed quid ille, *confertis
manibus*, in se redeuntium chorus? Ob hoc; quia ordo beneficii per ma-
num transeuntis, nihilominus ad dantem revertitur; & totius speciem
perdit, si interruptus est: pulcherrimus, si cohasit, & vices servavit.
Idèò *ridentes*, quia promerentium vultus hilares sunt, quales solent esse,
& qui dant, & qui accipiunt beneficia. *Invenes*, quia non debet bene-
ficioꝝ memoria senescere. *Virgines*, quia incorrupta sunt & sincera,
& omnibus sancta beneficia. In quibus nihil esse alligati decet, & ad-
stricti; idèò *solutis tunicis* utuntur; *perlucidis* autem, quia beneficia
conspici volunt.

II. Sunt qui flexanimam illam dicendi Præsidentem, Græci *παιδῶν*, En-
nio *Suadam*, Horatio *Suadelam*, Cicero *Leporem*, Gratiis adnumerant.
Hæc est illa lingua, de qua Ecclesiasticus c. 6. (b) *Lingua eucharis* (gra-
tiosa) in bono homine abundat. Et Cic. de offic. Difficile, ait, est dictu,
quantopere conciliet animos hominum, comitas affabilitasque sermonis.
Hoc est, quod in sacro Epithalamio canitur c. 4. *Sicut vitæ coccinea la-
bia tua, & eloquium tuum dulce.* Et prov. 16. *Favus mellis composita
verba, dulcedo anima, sanitas ossium.* Hæc gratia sessitavit in ore Nesto-
ris, de quo Homerus: *Cuius ab ore melle dulcior fluebat oratio.* Hæc se-
dem habuit in linguis Abigailis, Judithæ, Estheris, quæ mira labiorum
suavitate ferocissimos leones cicurârunt. Sed non tantum in lingua,
Charis hæc habitat; etiam in oculis, in gestu, in morum amabilitate,
in forma corporis regnat, utinam semper castè ac pudicè. Siracides ait:
c. 40. *Gratiam & speciem desiderat oculus tuus; & super hæc virides sa-
tiones.* Scilicet venustas rerum, & formositas corporum delectat oculos;
sed multò magis viriditas camporum: nam longè vivaciùs pingit na-
tura, quàm ars, sine stibio, sine fuce: delectat in herbis, & floribus si-
ne illecebra: illicit sine prava cupiditate. Id quod magis de oculo ca-
stæ mentis dicendum, quæ mirum in modum capitur naturali modestia,

V v v 2

verecus-

(b) *Lingua gratiosa,*

verecundiâ, linguæ ac morum suavitate; amittit gratiam, quidquid ascitium est, & nimis sapit artem, aut redolet vanitatem.

III. Porro tres charites eruditissimus S. Scripturæ interpres vocat *Innocentiam* seu integritatem vitæ, *Lætitiâ* bonæ mentis, spem futuræ beatitudinis, quibus ex aduerso tres Furie sunt oppositæ, *Pravitas* animi, *Remorsus* conscientiæ, *Desperatio*. Verè Salomon *Secura mens, quasi iuge Convivium* Prov. 15. Et Siracides c. 30. *Non est oblectamentum super cordis gaudium*. Rectè Seneca: Sola virtus præstat gaudium perpetuum, ac securum; etiamsi quid obstat, nubium modo intervenit, quæ infra feruntur, nec unquam diem vincunt. Epist. 27. A *Gratis* gratiosus dicitur, vel quia gratiâ apud omnes plurimum valet; vel quia omnium gratiam & favorem sibi facillè conciliat; idque non linguæ modo, de qua dixi, sed etiam oris suavitate: index enim animi vultus est: unde (c) Prov. 17. *Animus gaudens etatem floridam facit*. Nimirum innocentia animi redundat in florem corporis, & amœnitatem oris; unde Charites nomen habent à lætitiâ. Dicitur *litare Gratis*, cuius actiones omnes & verba spirant quandam morum elegantiam, venustatem, modestiam, pudicitiam, verecundiam; præsertim in adolescentibus, quos mirum quantum commendat honestas oris, & modestia indolis. Celebratur *Φιλανθρωπία* & humanitas Titi, qui patri Vespasiano successit in imperio; is ob facilitatem animi & liberalem indolem, *Delicium generis humani* audiebat. Sueton. Eiusdem dictum fuit: *Non oportet, quenquam à Caesaris colloquio tristem discedere*. Suidas. Cuius & illa vox audita: *Amici diem perdididi!* recordantis in cæna in neminem ea die à se beneficium collatum.

Huic virtuti, scilicet, humanitati, comitati, affabilitati, & gratioso sum hominibus agendi modo, (Græci *ὑπερηβολίαν* vocant) adversatur vitium *morositas*, seu morum difficultas. Sunt enim quidam hominum minimè humani, & à Gratiis longissimè remoti, morosi, asperi, intractabiles, quibus plurima facillimè displicent; in minutissimis rebus inveniunt, quod cavillentur. Rarè quenquam blandè salutant, aut humaniter colloquuntur, aut placidè aspiciunt; aut sedatè respondent: sæpe negant, quod alii affirmant: quòdque ipsis benevolè & officiosè fit, aut offertur ab aliis, id importunè atque inurbanè aversantur. Verbo, non placet iis, quidquid placere deberet; adeò quidem, ut neque in ludis remittant frontem; nunquam non severi *Carones*, aut rigidi *Xenocrates*. Cuius nominis philosophum, gravi semper ac tetrico vultu incedentem,

Plato

(c) *Gratiosa indoles.*

Plato monuisse fertur, *Ξενόκρατες*, *ἑὸν τὰς ἡδέρας*, Xenocrates *sacrificia Gratiis*. Laërtius. Is ipse, de Zenone philosopho narrat, eum, cum naturâ asper, intractabilis, & morosus esset, nec tamen morbum suum amaret (quod contra plerique faciunt) quò illum expelleret, vinum moderatè bibisse, atque ita placidum & commodum evasisse. Ajebat enim, similem se esse lupinis: (est amarum genus leguminis) illos quippe, priusquam macerarentur, acerbos, maceratos verò dulces reddi. Ut adeò non solum in vino veritas, sed etiam humanitas insit.

Hic tamen observa, non omnibus, etiam volentibus, licere esse *Gratiarum pullos*. Multis natura severior & tristior obnuntiat. Et molosso Britannico ne speres catellam Melitensem, blandum & gratiosum; qualem, ut in fabellis est, viderat asellus assilientem hero, eique adulantem, & inter eius brachia, atque in sinu iudentem. Statuit hoc visò, pecus aurita, clitellarum dudum pertœsa, eundem in modum delicias facere hero suo. Igitur fortè revenienti domum, obviam procurrere, subsillire, pulsare pectus unguis, & favorem herilem eblandiri. Malè cesserunt blandimenta; nam exclamante hero, accurrerunt servi, & ineptam bestiam, quæ se tamen urbanam credebat & gratiosulam, malè mulctatam fustibus, abegerunt. Ita est. *Nihil asinus ad lyram; nihil ad Gratiarum hortos allium & cepæ; foetent.*

SYMBOLVM LXXXVII.

Venus amorum dea.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Curus Veneris quid significet.
2. Veneris poma.
3. Pulchritudinis potentia.
4. Veneris corollæ, speculum, rosæ.
4. Cingulum.
6. Supellex, antrum.
7. Ejus delictum *Adonis*.
8. Veneris familia.

I Ove nata, ab antiquis amorum, gratiarum, pulchritudinis, delictiarum, voluptatum habita est dea, ita dicta, quod ad omnes res veniat, ut auctor est Cicero lib. 2. de nat. deor. Poëtæ eam ex spumâ maris ortam fuisse fabulantur, unde ipsam *Aphroditem*, *παρὰ τῆ ἀφροῦ*